

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 77. (Neovidensis 1807. Nro. 76.)

---

## Colloquium Politicum de Nobilitate.

---

Elysium-Meum.-Die Veneris 2. October. (Neovid. 13 Sept. 1807.)

### Sententia:

Notabilissimum negotium nobilis viri est bellum.  
*Bac. de Ver.*

**H**æc fuit semper communis opinio. Præcipuorum Politicorum Scriptorum opinio adhuc ultra extenditur; qui asserunt, nullam Monarchiam sine Nobilitate posse diu existere.

Interim in hoc infelici bello Borussico multæ magnæque querelæ contra Nobiles auditæ sunt. Quibus objicitur, quod omnibus officiis in exercitu ii defungerentur, & ideo infelicem exitum fuisse belli. Verum ii, qui has objectiones faciunt, fuissentne feliciores? notum est, quomodo Fridericus Magnus hac de re senserit, quis tamen ei in rebus gerendis magnitudinem, & felicitatem negabit? Nos hodie Historiam Nobilium, quidque hæc de eis contineat, ob oculos ponere volumus. A gerendo munere dicta Nobilitas omnibus Nationibus communis est, homines conspicuis in Republica dignitatibus ornati, præferuntur aliis. Ast hæreditaria Nobilitas non ubique

locorum reperitur. Possidebant hanc ex veteribus Nationibus Romani. Quorum Patricii non alii erant, quam Nobiles, quorum excellentia per nativitatem propagata fuit. Postquam reliqui urbis Romanæ Incolæ Plebei dicti, munerum in Republica, hæc tenus per Patricios administrari solitorum sensim participes facti fuissent, inter hos quoque discrimen enatum est. Posteriores eorum, qui prima in Republica Subsellia gerebant, imagines majorum suorum in atrio collocabant, & Nobiles vocabantur. Hæc tamen minime fuit hæreditaria Nobilitas, prout Patriciorum, & sæpe apud alias quoque Nationes, quibus hæreditaria Nobilitas ignota fuit, reperitur, omnes eos Nobiles nominatos fuisse, quorum Majores celebres viri erant,

In Græcia totoque Oriente licet nunquam fuerit hæreditaria Nobilitas, discrimen tamen status hinc inde jam induci cœpit. Et quia nonnulli dignitates in quibusdam locis, ut in Aegypto hæreditabant, hinc hæc res instar hæreditariæ Nobilitatis considerari potest. Exemplum hujus rei hodie quoque inter Incolas Indostaniæ deprehenditur, qui divisi sunt in certas Familias, inter quas tamen certa distinctio habetur. Quælibet Familia certum vitæ genus, ut opificium, aut aliud quodpiam amplectitur, hoc vitæ genus non tantum hæreditarium est; sed etiam matrimonium cum alia Familia inire vetitum est. In quibusdam locis certum vitæ genus prævalet alteri. In Arabia illi, qui educandis pecori-

bus operam dant, Beduini dicti, multo præstantiores se esse existimant iis, qui urbes incolunt.

Antiquissimis temporibus apud Occidentis, imprimis Germaniæ Populum nullum aliud discrimen fuit, quam quod liberum inter & servum intercedere solet. Illi Nobiles nominabantur. Quoniam vero ex liberis aliqui se se distinxerunt per dignitates majores, generosos que actus, quos Posterii celebrare minime neglexerunt, hac ratione ipsi liberi inter se differebant. Aliqui Nobiles dicebantur, reliqui liberi, aut Ingenui nominabantur; hoc discrimine usi sunt Germaniæ & Galliæ Populi jam tunc, dum Romanis innotescerent. Primatus interim Nobilium, jure Liberorum lento passu prævalere cœpit. Posterii Majorum suorum in dignitatibus, Virtutibus, imprimis in generositate fideles imitatores erant.

Si hoc in diversis Familiis longiore tempore durabat, quid mirum, si hæc tandem reliquis prævalere. Hunc principem locum quilibet Liberorum consequi poterat. Per hunc Populum partes armis occupatarum Provinciarum conferebantur præmii loco imprimis illis, qui in bello cæteris palmam præripere. Hæc bona devenere potissimum in eorum manus, qui jam antea Nobiles habebantur, quibus dignitates gestæ facilem viam aperuerunt, hæc bona ad se pertrahendi. Neque tamen reliqui Liberi ab eorum possessione excludebantur. Prima igitur origo No-

bilitatis in meritis, & imprimis quidem in generositate belli exhibita consistebat. Consecutio honorum Feudalium non est genuine origo Nobilitatis, quia Nobiles jam antea existebant. Post aucta quoque bona Feudalia, reperiuntur Nobiles Familix sufficientes, quæ nulla Feudalia, sed solum Allodialia, & propria bona possidebant, insigniebantur autem nomine Dynastarum, aut Dominorum.

Jam nunc duplex via ad Nobilitatem consequendam patuit, primo præcipui honorum & dignitatum gradus, dein Feuda. Accessit adhuc tertius nobilitatem obtinendi modus.

Nempe, dum Germani, aliæque pro barbaris habitæ nationes imprimis Sæculo 5. armis multas acquisitiones facerent, inter antiquos Provinciæ Incolas, & advenas, qui priores armis subjugarunt, discrimen ortum est.

Antiqui Incolæ aut in servitutem redacti, aut agros colere, & a bonis per Victores sibi relicti tributum pendere debebant. Hi ut Domini laborem recusabant, bella gerebant, omnia Reipublicæ munia ipsi administrabant. Si multæ hæ prærogativæ in considerationem sumantur, hi respectu veterum Incolarum merito Nobiles haberi poterant. Adhuc uni discrimini occasionem præbuit, nonnullorum servorum manumissio, qui tamen vilioris conditionis erant genuinis liberis. Quia vero frequens servos manumittendi consuetudo in usum abiit, tandem enatum est discrimen Liberos inter & servos.

Hujus conditionis Liberi nequaquam similes erant antiquioribus Liberis. Hi quoque in duas divisi erant Classes, in nobiliorem utpote, & viliorem. Hoc cum tempore occasionem porrexit majoris, a minoris notæ Nobilibus discernendi. Majoris notæ Nobiles erant, qui summis in Republica honoribus, ac dignitatibus ornabantur, & plurimis bonis Feudalibus potiebantur. His adnumerabantur illi quoque, qui aut antiquitate Familiæ, aut multis allodialibus bonis gaudebant, licet nulla officia gererent, neque bona Feudalia possiderent, exemplo hic esse possunt omnes sic dicti Dynastæ. Minoris itaque notæ Nobiles originem suam debent Liberis. Hi se discernere volebant a manumissis, a veteribus armis occupatarum Provinciarum incolis, & a reliquis genuinis Liberis, qui juxta illorum opinionem viliora negotia, exercebant, & potissimum Civitates incolere consueverunt. Hoc discrimen primo post introductos Ludos Equestres initium cepit. His Ludis initio omnes Liberi adesse poterant, si reliquis qualitatibus præditi, & Milites erant. Successu temporis illi solum ad hos Ludos admittebantur, qui demonstrare poterant, Majores suos claros viros fuisse, & Ludos hos exercuisse. Sequebatur demum distinctio inter minoris notæ Nobiles, qui ad Ludos Equestres etiam admittebantur, & reliquos Liberos, qui a Ludis exclusi fuerunt.

Membra horum Ludorum vocabantur membra Ludorum Equestrium capacia. Quia vero Major Nobilitas honores Ecclesiasticos,

Episcopatus, Archiepiscopatus ambiabat, hinc & minor Nobilitas nullum non movebat lapidem, ut horum beneficiorum particeps reddi queat. Hac ratione minoris Nobilitatis Personæ Foundationum beneficiorumque capaces dicebantur.

Præcipui Provinciarum Gubernatores, per Reges, aut Imperatores creati, in id incumbabant, ut has dignitates hæreditarias sibi redderent, qua in re fortuna uni Familiæ præ alia favit. Lapsu temporis Duces, & Comites prius nudos gerentes Titulos, nomina Provinciarum, aut Districtuum, quibus præerant, Titulis suis addiderunt, & ab his se se scripsere. Horum exemplum secuti Dynastæ in suis bonis. Hos minoris sortis Nobiles imitabantur, assumentes Titulos, olim ad solos Dynastas pertinentes, scribebantque se ab iis bonis, quæ possidebant, ut se a reliquis Liberis semper magis distinguerent. Hinc enatum est illud, ut Nobilitas minor se Dominum *de*, aut *in* scriberet, nominaretque. Successu semports, postquam multiplicati fuissent, licet nulla bona possiderent, Titulo tamen *de* usi sunt. Cum itaque prima origo Nobilium dependeret a dignitatibus, quas Cæsares, Reges distribuebant, hinc facile patet, cur iidem semper hoc jure usi sint, ut alios ad minorem Nobilitatem referrent, aliis majorem Nobilitatis gradum conferrent.

Hic igitur est communis rerum cursus, qui in maxima Europæ parte, quam Germanus Populus incolebat, obtinuit.

Frustra igitur inquirimus in Originem rerum earum, quæ sensim in lucem prodierunt. Non secus difficile est determinare tempus illud, quo rerum mutationes factæ sunt. Hinc diversæ opiniones de origine Nobilium discuti possunt.

In Republica, quæ Nobilibus caret, formatur sensim Aristocratia, aut locus divitum Familiarum, unionem inter se habentium, matrimonia invicem ineuntium, hæ Familix, quia meliorem educationem, Institutionemque nactæ sunt, prima Subsella obtinent. Quia vero status Militaris in Republica principem obtinet locum, hic in eadem honorum dignitatumque gradus obtinet præ Plebeis, quibus communiter & educatio nobilior, & Patrocinium cognatorum deest.

### *Angliæ.*

*Londinoz. Sept.* De Captivis nostris in Aegypto hæc percepimus: initio misera fuit eorundem sortis, quæ multo melior reddita est, postquam Bassæ propositi fuissent. Filius Bassæ eis tam pro Prandio, quam cœna 27 Cibos mittit. Gallicus Vice-Consul in Cairo vestes, pecuniasque eisdem subministrabat.

Bellum inter Christoph & Petionem continuari, rumores ex Insula S. Dominici adlati, testantur; ille potissimum prævalet Petioni, nec tam sævus est, a Petion.

Non caret res solitudine, quod de expeditione nostra in mari Baltico nulli rumores adferantur.

Fama ex Portugallia adlata nobis non usque adeo grata est. Probabilius etiam ibi de mercimonio nostro consilia capiuntur.

His diebus fuit hic visui expositus immensæ magnitudinis bos, cujus descriptio hiece sequitur.

Celebris Eboracensis Bos, non procul a Civitate Doncastre educatus.

Omnium judicio est pulcherrimus, quem unquam Anglia vidit. Longitudo ejus est una cum cauda 18 pedum, sine cauda 12 pedum, & 18 digitorum; Altitudo 6 pedum, 5 digitorum; crassities maxima 12 ped. 9 digit. Ex genuino Eboracensi fetu brevium cornuum. Est 6 Annorum. Juxta ultimam ponderationem ponderat 37 Centenarios, qui 300 lapides, per 14 pondo efficiunt, & 525 lapides per 8 pondo, & sic porro,

Ergo 4200 pondo. Notandum, pedem Anglicum medio digito esse longiorem. Germanico

Quicumque inusitatum hanc corporis magnitudinem vidit, veritatem relationis minime in dubium vocabit. Concursus est ingens pretium hujus gigantei bovis spatio duorum mensium jam ter receptum, seu ter tantum, quantum valet si bubulæ pretium ab uno Schilling computetur; ergo reditus 638 librarum numerum Sterlingicorum, seu circiter 3798 flor. jucundum fuit in confluxu animadversiones audire,

---